

AD I. COR. CAP. IV.

nostram humilitatem predicari, id per figuram translationis sive κοινοῦ οἰή-
 σως in nos quidem contuli, vobis autem id exempli vice commendatum esto,
 ut vos Corinthii, & maxime vos in ea Ecclesia doctores ab exemplo nostro di-
 scatis, ne quis supra id, quod scriptum à nobis est, de se sentiat ambitiosius,
 ne ex hâc radice malorum nascantur infestæ illæ & factiosæ conten-
 tiones, quibus hic quidem auditor concionatoris illius, ille vero hu-
 jus Doctoris nomine inflatur, dissociato, atq; rupto Christianæ uni-
 tatis charitatisq; vinculo. Verbum Φυσῶνθαι sollicitavit etiam Be-
 za, & ante eum Erasmus, uti hic Grotius. Sed rectè Erasmus Schmi-
 dius movet, Indicativum pro conjunctivo poni, similia observans è Bu-
 dæo, qui etiam Camerarium meritò hoc loco notavit, quasi inflari
 unum supra alterum idem sit, quod contra alterum, nisi ὑπὲρ τῆ ἐνὸς neu-
 trum esse credatur, ut sit ὑπὲρ τῆ ἐνὸς πρῶτου, ut nempe de illa re in-
 flatur contra alterum. Nam tres hic sunt personæ, quod etiam obser-
 vatam Erasmo: Ejus qui inflatur, puta alicujus è Corinthiis; Ejus quo
 inflatur, utpote Pauli Apollo, vel Cephæ; Et ejus, adversus quem in
 cœtu Corinthiorum inflatur, id est, persuasione sapientiæ & dexterita-
 tis judicandi turgens sese effert, & extollit adversus alium,
 dum hunc doctorem præ alio extollit, quasi singulari polleat de do-
 nis divinis censendi prudentia, ideo etiam contentiones & rixas ac
 schismata excitat. Metaphora petita est à vesicis turgidis, quæ tamen
 unico ictu acus læsæ subito detumescunt. Chrysostomus à phlegmone,
 in inflammatione, per quam οἰδημα seu tumor fit, deducit. Nam quod
 est inflatum, habet tumorem, spiritum repletum tumore corrupto.
 Alii à bufonibus metaphoram petitam dicunt, quia Φύσαλος bufonem
 significat. Bufo venenò inflatur, quod maxime noxium est, ideo magna pru-
 dentia esse reputatur, ut hic B. Weirichius?

v. 7. Τίς γάρ σι Διγκρίεις

Eos primùm attingit, quos plebs ita ob eximia dona admira-
 batur, ut eis se cœratim addiceret. Quod illi cum impedire debu-
 issent, non impediebant, sibi in eo placentes. Discernit Deus, cum
 huic plus dat alii minus. Hinc Διγκρίσεις πνευματικῶν infra XII. 10.
 Habes hunc sensum fusè tractatum initio lib. VIII. constitutionum,
 quæ dicuntur Clementis.

Τί ἔχεις, ὃ ἂν ἔλαβες.

B 3

In ,,